



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 6. Sit ne usura aliquid supra fortem exigere pro obligatione non repetendi mutuum intra certum terminum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

19. Ex his difficile non erit à difficultate ex principiis D. Thomae suborta me expedire; & ut feliciter, præmittit, virtutem iustitiæ in tota sua latitudine triplex bonorum genus pro objecto habere: aliud eorum, quæ ad vitam, aliud, quæ ad honorem, & aliud eorum, quæ ad divitias pertinent. Temperantiam verò in veneris unum tantum bonorum genus respicere, nempe eorum, quæ ad vitam futuræ prolis. Unde fit primò, speciem iustitiæ, quæ vitæ præfenti conservandæ consulit, melius bonum pro objecto habere, speciebus aliis iustitiæ, quæ circa honores, aut divitias versantur; ac proinde præstantiorem cæteris esse. Præterea secundum hanc rationem præcellere etiam virtutem temperantiæ in veneris, quia temperantia vitam solum in potentia, quæ minus bonum est, quam vita in actu, pro objecto habet: quapropter homicidium majus peccatum est, quam peccatum contra naturam, ut ait D. Thom. *supra tertio contra gentes, cap. 122.* verbis illis: * Post peccatum homicidii, quæ *num. 9.* fideliter excerpta dedi. * Fit secundò, iustitiam, prout ad honorem, & divitias conservandæ, vel restituenda terminatur, inferiorem esse virtute temperantiæ, quia hæc majori bono, nempe vitæ prolis in potentia consulit, atque adeo peccatum contra temperantiam gravius est detractio, & furto, quia vita hominis nascituri bonitate excellit honores, & divitias. Quapropter Div. Thom. ubi *supra quæst. 154 art. 3.* citato, iure dixit, fornicationem secundum suam speciem esse gravius peccatum aliis, quæ sunt contra bona externa, sicut est furto, & alia hujusmodi.

20. Hinc ad argumentum ex principiis D. Thomae supra confectum facillè respondeo, & ut clarius, illud in stauro. * Peccatum eo est gravius, quò majori virtuti opponitur: sed furto ex suo genere opponitur iustitiæ, quæ est major virtus: sodomia temperantiæ, quæ est minor; ergo furto est gravius peccatum, quàm sodomia. * Distinguo majorem, quò majori virtuti secundum speciem, cui immediate opponitur, concedo, secundum genus tantum nego. Et similiter distingo minorem: iustitia, prout respicit vitam præsentem proximi, est major virtus, quam temperantia, concedo, prout alia bona externa, nego: quia vita hominis nascituri, cui temperantia consulit, majus est bonum, quam honores, & divitiæ, quæ ista species iustitiæ habent pro objecto. His, ni fallor, enervatur omnino argumentum, in quantum oppugnat communem omnium apprehensionem circa gravitatem peccati, & magis roboratur vera, & communis sententia asserens, peccatum sodomie, secundum suam speciem, gravius esse, quam furto; quia licet genus iustitiæ præstantius sit genere temperantiæ, & in hoc sensu verè dicatur peccatum iniustitiæ ex suo genere gravius esse peccato intemperantiæ (quod tantum asseruit P. Vasq.) non incongruit, aliquam iustitiæ speciem ratione differentie specificæ à perfectione temperantiæ superari, sicut in physicis contingit: cælum namque Empireum perfectius est, quam musca, licet genus viventis, sub quo ista continetur, præstantius sit. Quis inquam negabit sodomiam crimen esse enormissimum flammis revera ulticibus expiandum! Rectè ergo coheret ejusmodi peccatum absolute, & simpliciter loquendo gravius esse, coram Deo, & hominibus, quolibet furto, quantumvis immani, & tamen secundum quid, & cum addito ex suo genere levius furto peccatum appellari. Quia per hæc solum significare intendunt P. Vasq. & sequaces, genus iustitiæ, sub quo plures species continentur, perfectius

esse, quam genus temperantiæ, quia illud habet pro objecto aliquod bonorum genus, nempe vitam præsentem, longè excellens objectum temperantiæ. Quod verissimum esse nemo inficiari potest. Quapropter P. Ariaga tom. 3. *de virtutibus, & peccatis, lib. 42. sect. 3. num. 35.* postquam de gravitate peccati, & peccatum luxuriæ contra naturam, conclusit per Patris Vasquez sententia dicens: * Solum dicitur genere suo esse gravius, quod non negemus: addimus tamen non obstantem ea generis diversitate individuum (nempe sodomiam) esse gravius, licet furto) quod ex genere suo altius est. * Quod verissimum esse satis constat ex dictis. Nec Vasquez unquam negavit, quamvis Hieronymus Gutta, & alii laxius loquuti fuerint, non bene per se solum adducentes: cum advertere debuissent, ex suo genere, quo semper sententiam limitavit, locum requisse majori gravitati specificæ, & individui, quam communis Theologorum sententia, statuerat, ut indubitatum, & lumine naturæ notum, & tenus astruxit.

QVÆSTIO VI.

Sitne usura, aliquid supra sortem exigere pro obligatione non repetendi mutuum intra certum tempus?

S. I.

Sententiæ negantis fundamenta.

1. **R**es sanè difficilis, & multis in di quælaque irretita, & in cuius enucleatione, aliis gratum, aliis ingratum facere, opus erit. Sed non ideo veritas tenebris involuta delectanda. In parte negante, usuram esse, aliquid exigere proinde dicta obligatione, militat, quæ sequuntur.

2. Non repetere mutuum in fine hujus anni, id dilationem concedere, est virtualiter mutuum, ergo obligatio ad non repetendum est obligatio ad virtualiter mutuandum. Ex hoc principio sic arguitur obligatio nunc facta non repetendi mutuum in fine hujus anni, est obligatio mutuandi in futurum, vel obligatio mutuandi, est pretio æstimabilis, ergo obligatio non repetendi mutuum. Consequentia legitima, major per se nota: minor probatur auctoritate; quia eam expresse tenent D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 2. Cajet. & Aragon. ibi: Salom. Bion. Conrado, Sylvest. Medina, Palaciu, Covarrub. to, Tabiena, Armilla, Toledo, Molina, quædam & sequitur Salas tract. de usura, lib. 9. num. 2. Sed qui recentere immoror? ferè omnes Doctores, in hoc agmine facto, ducis vestigiis insistentes, in hoc conspirant. Ergo saltem auctoritate extrinseca minus probabilis minor illa propositio. Ex majori autem evidenti, & minori, auctoritate extrinseca, probabilis, deducetur ne consequens improbabile?

3. Præterea. Minor illa propositio ratione ratione pondere sic stabili potest. Obligatio ex iustitia mutuandum in posterum admittit obligationem libertatem, eamque quasi alibi subijcitur sed hominem se ipsum sua libertate privare in alterius obligationem

est pretio æstimabile: ergo obligatio ex iustitia est pretio æstimabilis.

4. Ad rem igitur proprius accedendo, sic instauro argumentum. Obligatio ex iustitia ad mutuandum est pretio æstimabilis, quia sic adstrictus privatur sua libertate ad non mutuandum, sed qui se obligat ad non repetendum mutuum intra certum tempus, privatur sua libertate repetendi: ergo obligatio ad non repetendum est pretio æstimabilis.

5. Confirmatur ex communi Doctorum sententia, quam tenent Aragon, Mascaron, Emanuel, uterque Medina, Lopez, Grassis, Angles, Navarro, & alii, quos refert, & sequitur Salas *dub. 14.* qui asserunt, usuram esse, mutuari cum pacto, ut mutuatarius postea conferat Ecclesiasticum Beneficium: & reddunt rationem, quia illa obligatio ad conferendum admittit libertatem collatori, ac proinde est pretio æstimabilis. Benè. Sed obligatio non repetendi mutuum intra annum admittit libertatem mutuantis, ergo est pretio æstimabilis. Ergo licebit aliquid supra sortem exigere pro hac obligatione: sicut & pro damno emergente, quia pretio æstimabile est.

6. Secundo argumentor ex P. Molina, Conrado, Soto, Armilla, Joanne de Medina, Lopez, Navarro, Aragon, & Toledo apud Salas *dub. 9. num. 4. §. Præterea.* Qui constanter tuerentur, eum, qui mutuavit cum pacto, ut mutuatarius aliquid supra sortem redderet, non solum teneri restituere acceptum, & damna, quæ mutuatario evenierint, verum etiam aliquid ultra ei conferre ratione obligationis, quam susceperat. His positis: sic infurgo. Illa obligatio, à mutuatario facta, non fuit vera, sed apparens, utpote quæ nullum iustitiæ jus contulit mutuantis, ut in confesso est apud omnes, & tamen pro illa est aliqua compensatio facienda, ut præfati Doctores asserunt; sed obligatio non repetendi mutuum intra annum, est vera obligatio, & non apparens: ea etenim ex iustitia manet mutuantis alteri adstrictus, verumquæ, & strictum jus mutuatario confert: ergo pro obligatione non repetendi mutuum intra annum, aliqua compensatio potiori jure est facienda. Mirabile enim dictu esset, posse mutuatarium aliquid exigere pro obligatione ficta, & hoc non licere mutuantis pro obligatione vera! Quasi peioris esset conditionis, quia beneficium contulit.

7. Dices cum aliquibus: eum, qui se obligat ad non repetendum mutuum, non manere adstrictum ad mutuandum formaliter, sed solum ad virtualiter mutuandum, cum non repetere, sit virtualiter mutuate. Unde licet pro obligatione ad mutuandum formaliter, possit aliquid supra sortem exigere: secus pro obligatione ad mutuandum virtualiter. Sed amice rogo, quid ad rem, mutuatario sit virtualis, an formalis: cum realiter idem effectus resultet. Verum ne inde ullus pateat aditus, effugium tibi præcludo, à fidejussore repugulo accepto.

8. Fidejussio, ut docet Salas *suprà dub. 11. numer. 2.* (& nullus, ut credo, inficiabitur) nil aliud est, quam obligatio ad virtualiter mutuandum, ut ex se patet: quia fidejussio est obligatio ad solvendum pro alio: Solvere autem pro alio, est virtualiter illi mutuate. Modo sic. Fidejussio est pretio æstimabilis, potest quæ pro ea aliquid exigere, ut tenent Sotus, Salas, Navarro, Molina, Vega, Emanuel, Joannes de Medina, & alii: ergo obligatio ad mutuandum virtualiter est pretio æstimabilis: ergo discrimen à te assignatum omnino evanuit. Ergo licet obligationem repetendi mutuum intra annum, tantum adstringat ad mutuandum virtualiter, etiam pretio æstima-

bilis, ergo poterit pro ea aliquid supra sortem exigere.

9. Urgetur primò. Fidejubere, alterius nomine, ad annum, pro mille aureis, verb. grat. est pretio æstimabile, licet in debitore nullum sit periculum, ut expressè fatentur Doctores *suprà citati*: ergo mutuate cum obligatione non repetendi, erit pretio æstimabile: nam, ut benè ait Lessius *dub. 14.* hoc est difficilissimum, quàm illud: plures enim inventies, qui nomine tuo fidejubeant pro tanta summa, quàm qui eam tibi velint ad annum mutuate, ut experientia constat. Nam qui fidejubet, cum nullum est periculum, moraliter certus est, nullam à se pecuniam numerandam: quod si fortasse aliter contigerit, certus est, eam recuperaturum, imò potest eam statim repetere, & omne interesse. Qui verò mutuat, jam re ipsa numerat, & quidquid evenierit, non potest ante annum repetere: etsi aliquod interesse cessaverit, non compensabitur, nisi de eo expressè fuerit conventum: ergo difficilissimum, & æstimabilissimum est, mutuate cum obligatione non repetendi per annum, quàm pro eadem summa fidejubere: sed pro hac fidejussione potest aliquid exigere, ergo & pro illa obligatione.

10. Premo secundo: Fidejussio pro mille aureis est obligatio solvendi, si mutuatarius non sit promissus: solvere autem pro mutuatario est illi virtualiter mutuate, ut constat ex dictis: virtualiter verò mutuate, nil aliud est, quàm minus habere in suis bonis eam summam, donec mutuatarius compenset. Ex quibus sic formo argumentum. Ideò fidejubere est pretio æstimabile, quia fidejubens quatenus est ex se, exponitur minus habere in fine anni eam summam in suis bonis, & ea invitum carere, donec mutuatarius compenset, sed qui mutuat cum obligatione non repetendi intra duos annos, exponitur quatenus est ex se minus habere in fine anni eam summam mutuatam in suis bonis, & ea invitum carere usque ad compensationem, ergo sicut illa fidejussio est pretio æstimabilis, ita & hæc mutuatatio. Si enim, qui mutuat, in se suscipit onus fidejussoris; & hic potest aliquid pro tali onere exigere; quare mutuantis id non licebit? Nonne congruum erit, ut qui incommodum sentit, sentiat commodum? Tantum ne crimen est mutuasæ, ut ipso facto incurrat pœnam privationis lucris, quod alter eodem suscepto onere sibi pararet: ergo licitum erit aliquid supra sortem exigere pro obligatione non repetendi mutuum intra certum tempus.

11. Hæc sunt fundamenta, quæ pro hac sententia congeri possunt: quam absolute defendunt Medina *Cod. de Restit. quæst. 32.* & M. Petrus de Ledesma *2. p. Sæm. tract. 8. cap. 33. conclus. 4. diffi. 2. folio mihi 546.* in edit. Salmantina, anno 1614. ubi ait, esse communem inter discipulos D. Thomæ, verba ejus sunt: * Si la obligacion de no volver à pedir es por mucho tiempo, se puede muy bien estimar en precio, y por razon de aquella obligacion se puede muy bien llevar el justo precio, sin usura ninguna. Esto enseñan todos los discipulos de Santo Thomas. La razon està clara, porque la tal obligacion es estimable con precio. * Sic ille. Quem sequitur M. Serra *2. 2. quæst. 78. art. 2. dub. 3. ibi*: * Dicendum est secundò, licitum etiam esse mutuantis, aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem, usque ad certum terminum. Hujus oppositum tenent Lessius, & alii recentiores, &c. * Quibus addo M. Acatium de Velasco *com. 2. Refol. Moral. verb. V. usura, resol. 45. num. 1.* ubi sic: * Preguntan los Doctores, si por la obligacion, en que se puso, de no pedir se ha pasado el año, pueda llevar algo mas ultra sortem? * Et

cita-

rim numerat pecuniam, & tu obligaris post annum domum tradere: quod licitum esse, nullus est, qui dubitet. Probo igitur, hunc contractum esse injustum, si obligatio ad mutuandum sit pretio æstimabilis. Et procedo sic. Pecunia tradita, & valor domus tradenda æquali lance libantur, ergo cuicumque addatur aliquid pretio æstimabile, inæqualitas constituitur: probatione non indiget. Sed ex parte venditoris additur obligatio tradendi post annum, quæ est pretio æstimabilis, ut potè privatio libertatis, ergo ut iustitiæ æqualitas servetur, opus erit, ut qui anticipatè solvit, aliquid ultra pecuniam, supra domus æstimationem, numeret, pro obligatione venditoris suscepta: Quod ritum movet.

19. Confirmatur exemplo ab adversariis admissio. Quis potest, nolle mutuare pecuniam nolenti sibi tuticum, verb. grat. mutuare; quia in hoc casu exigitur mutuum pro mutuo, in quo est æqualitas. Secus (inquunt) si mutuum petenti dicas, mutuabo, si te ad mutuandum post mensem obliges: reddunt rationem, quia licet animum mutuum sit æquale alteri scilicet sumpto, non tamen ut conjuncto cum obligatione in posterum, cum hæc obligatio pretio æstimabilis sit. Bene. Ergo cum pecunia numerata sit æqualis valori domus scilicet sumptæ, non erit æqualis valori domus, & obligatio in posterum tradendi simul, cum illa obligatio pretio æstimabilis sit. Quid ad hæc?

20. Perpende quæso, dissonantiam sententiæ. Si venditor legitimum domum tradat, mille aurei tibi sufficiunt, si per annum protrahat, pretium augere teneris. Si statim alter tibi mutuet, nil pretio æstimabile facit; si beneficium differat, dignus est mercede. Inaudium sane, ad aliquid ultra rei valorem me teneri, quia anticipatè pecuniam illi numeravi! Nonne hoc omni probabilitate destitutum, rationis lumine notum est? Ergo obligatio mutuandi non est pretio æstimabilis.

21. Tertio sic argumentor. Si tibi debeam centam in fine hujus anni solvenda: possum modo tibi quinquaginta offerre cum pacto, ut alia non solvam ante biennium; ut ipsimet adversarii fateantur; sed hoc est dare mutuum implicitum cum pacto, ut vicissim implicite remutues in fine anni, ut expresse tenet Lessius hic dubit. 8. n. 59. & dub. 3. nu. 21. Ergo obligatio in posterum mutuandi non est pretio æstimabilis, aliàs in prædicto contractu interveniret usura: sed obligatio non repetendi mutuum intra certum tempus, est obligatio virtualiter mutuandi ergo æstimabilis pretio non est.

22. Quartò, fidejussio est obligatio ad mutuandum virtualiter, & tamen non est pretio æstimabilis, si periculosa non sit: ut tenent Salon art. 2. contror. 4. in fine. Sylvest. verb. *Vsura* 7. quæst. 6. verb. *Fidejussor*. quæst. ultim. ubi Armilla num. 15. Tabiena num. 16. In idem inclinat S. Antoninus 2. p. tit. 1. cap. 7. §. 45. cum Laurentio de Rodolphis. D. Bernardinus tract. de Restit. relatus a S. Anton. Caballinus quæst. 31. de *Vsura*, n. 251. Covarr. Conrado, G. 1. quos refert, & sequitur Salas hic dub. 11. Ergo obligatio prædicta non repetendi mutuum, non est pretio æstimabilis.

23. Verum quia alii contrarium tenent, sic retorquero. Fidejuberet, etiam secluso periculo, est pretio æstimabile in opinione adversariorum, quia fidejuberens quatenus est ex se, exponitur minus habere in suis bonis eam summam, & ea invitus carere tempore præfixo, donec mutuatarius solverit, sed qui mutuat, eo præcisè exponitur, quatenus ex seminis ha-

bere in suis bonis summam mutuam, eaque invitus carere tempore præfixo, donec mutuatarius compenset: ergo actio mutuandi tanti æstimabilis est, quanti fidejussio; sed pro actione mutuandi nil potest exigi, ergo nec pro fidejussione, ergo nec pro obligatione virtualiter mutuandi, ergo nec pro obligatione non repetendi mutuum intra certum terminum.

24. Urgentius premo, fidejussio, etiam periculo secluso, est pretio æstimabilis: ergo si mutans in se suscepit onus fidejussoris, poterit aliquid supra sortem exigere. Cur quæso, mutanti non licebit lucrari, quod aliis licet? quid enim repugnat, mutuantis, & fidejussoris munus ab eodem obiri. Sed eo præcisè, quod quis mutuat, ut in se suscepit quid, quid oneris habet fidejussor, ut probavi: ergo quilibet mutans poterit aliquid supra sortem exigere ratione fidejussionis, quæ mutuandi actione reperitur: Quod hæreticum est.

25. Dices cum Navarro, Salon, & Salas supra dub. 11. fidejussorem fictum, & in veritate mutuatorem, non committere peccatum usuræ, si pro fidejussione aliquid supra sortem exigat, esse tamen injustitiam. Sed contra. Quia ex eo, quod mutans ipse fidejubeat, nullum damnum evenit proximo, quod, alio fidejubente, non eveniret, ergo ex eo, quod idem mutans, & fidejussor existat, nulla inferitur proximo injustitia.

26. Et confirmatur ex doctrina adversariorum. Mercator omni pacto secluso, statim emens in summo pretio merces, quas immediatè antea summo vendiderat, non facit injustitiam proximo, ut fateantur Lessius lib. 2. cap. 21. Rub. 16. num. 130. Molina tom. 2. disp. 510. Azor p. 3. lib. 8. cap. 11. Bonacina de Contractibus disp. 3. quæst. 3. puncto 3. num. 20. Navarrus, Navarra, Homobonus, Regius, Summa Corona, Grassius, Angelus, Lopez, Vega, & alii, quos refert, & sequitur Diana tract. 8. de contract. resol. 58. Et reddunt rationem, quia ex eo, quod mercator vendiderit, non fit deterioris conditionis, quam alii, sed alii possunt vili pretio emere absque injustitia: ergo & mercator. Bene. Sed ex eo, quod Petrus mutuo dederit, non fit peioris conditionis, quam qui non dederunt, ergo si alii possunt fidejuberet, & absque injustitia aliquid exigere pro fidejussione, ergo & Petrus etiam poterit: Consequens est falsum, ergo & antecedens. Ergo pro obligatione mutuandi virtualiter non licet, aliquid supra sortem exigere.

27. Ratio à priori hujus doctrinæ manifesta est: quia obligatio eatenus est pretio æstimabilis, quatenus alteri præbet jus ad rem, unde ex juris æstimabilitate, libranda est obligationis æstimabilitas. Jus autem ad rem non est pluris æstimabile, quam res, ut tenent communiter Doctores cum Bartol. l. per diversas. C. mandati, & Baldo, leg. 2. C. ne lite pendente. Ergo jus ad mutationem non est pluris æstimabile, quam mutatio: consequentia est evidens. Antecedens probo. Jus ad 10. valet 10, jus ad 5. valet 5. & sic in cæteris, ergo jus ad rem non pluris valet, quam res: ergo jus ad mutationem non pluris valet, quam mutatio; sed mutatio non est pretio æstimabilis, ut fides docet, ergo nec jus ad mutationem, ergo nec obligatio ad mutuandum, quæ accipit æstimabilitatem à jure, ergo licet obligatio non repetendi mutuum intra certum tempus, sit obligatio ad mutuandum, non ideo tenendum esse pretio æstimabilem. Deinde mutuum essentialiter est traditio domini pecuniæ pro aliquo tempore: ergo intrinsecè dicit obligationem non repetendi intra certum terminum;

Yy

sed

sed pro mutuo nil potest supra sortem exigi, ergo nec pro obligatione.

28. Verum enim verò, etsi gratis demus adversariis, obligationem mutuandi ratione sui esse pretio aestimabilem: adhuc non inferitur, posse aliquid supra exigi pro obligatione non repetendi mutuum. Et ratio est, quia quotiescumque ex parte mutuantis, & mutuatarii onera sunt paria, iniustitia manifesta intervenit, si aliquid supra sortem exigatur; sed ita res se habet in presenti: ergo. Minorem probo: quia fors responderet sorti, & obligatio obligationi: obligatio enim mutuantis compensatur per obligationem mutuatarii reddendi sortem, etiam si casu, & naturaliter perierit, ita ut omni eventu non mutuantis, sed ipsi mutuatario pereat, ergo cum utriusque onera sint paria, nequit absque iniustitia aliquid supra sortem exigi.

29. Ad fundamentum præcipuum, cui contraria sententia innititur, respondet Molina tom. 2. tract. 2. disp. 3. § 8 n. 11. aperte falsum esse: quia mutuare ad annum non est inducere super se obligationem aliquam, sed solum ex sua liberalitate concedere beneficium mutui in totum id tempus: sicut qui donat, traditque rem donatam, nullam inducit super se obligationem in futurum, esto, traditione ejus rei a se abdicet potestatem eam deinceps utendi, aut fruendi: ergo qui mutuum dat ad annum, nullam in se inducit obligationem, sed solum exergit liberalitatem concessione beneficii mutui in totum id tempus: esto inde sequitur toto eo tempore, neque uti posse re, quam mutuo concedit, neque posse illam repetere. Hinc autem obligationi intrinsece inhærenti mutuo ad certum tempus, nil superaddit altera in pactum deducta non repetendi intra talem terminum: ergo sicut prima non sufficit inducere aliquid supra sortem; ita nec secunda, ac proinde sicut illa sufficiens compensatur obligatione reddendi mutuum, sic & ista: alias sequeretur omnia incommoda, quæ ex usura sequi, docent communiter Doctores, & Scriptura, Concilia, & Pontifices damnant.

30. Propter hæc sententiam Ledesma, & aliorum, quos num. 11. citavi, gravi censura incurrunt Doctores. P. Molina ubi supra num. 10. inquit esse, non solum novam, & inauditam, sed etiam periculosam satis, & quam aperit usurus. Et infra: Est igitur ejusmodi opinio periculosa valde in fide, ne quid amplius dicatur. P. Amicus in *Curso Theologico*. Similiter, inquit, esse sententiam novam, periculosam, & expostam palliari usuris. Sic tom. 5. disp. 6. sect. 8 n. 131. & Palaeus tom. 7. tract. 32. p. 8. ad 5. dicit, esse sententiam valde periculosam in fide. Cujus ratione tradit Cardin. de Lugo tom. 2. de iust. disp. 25. sect. n. 17. Nam si, seculis damno emergente, & lucro cellante, opinio Ledesma vera esset. Reduceretur uno verbo tota controversia de usuris ad questionem de nomine inutilem omnino ad forum conscientie, & nullus contractus esset usurarius re ipsa, sed solum propter ignorantiam contrahentium, qui nesciunt distinguere titulum lucri. Quapropter sententiam, quam prius tenebat Diana 1. p. tract. 8. resol. 48. jure retractavit p. 8. tract. 7. resol. 63. & p. 11. tract. 1. resol. 25. ubique libellum Philippi de la Cruz, ubi continebatur, à supremo Tribunali sanctæ Inquisitionis Hispaniæ prohibitum refert. Quod observat etiam Amadeus in *de Usuris*, prop. 3. in edit. Mitric. anno 1664 fol. 227. Et novissime Summus Pontifex Alexander VII. die 18. Martii, anno 1666. hanc propositionem: licitum est mutuantis aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non recipiendam sortem usque ad certum tem-

pus: damnavit, & prohibuit, ut scandalum, immum. Quam nulli in posterum docere, defendere, aut edere, nisi ad eam impugnandam, licet hoc enim prohibuit sub pena excommunicationis in facto incurrendæ, Summo Pontifici referre.

Q V Æ S T I O VII

Sitne simonia, pecuniam promittere ad consecutionem beneficii, quando non est intentio standi promissu?

1. C. Errissimum est, grave peccatum esse mentis, & inductionis, vel cooperationis ad peccatum simoniæ collatoris beneficii. Dilectas vero solum est, an aliunde extraxit, tum fecit promissio ista simonica sit, & potius contra simoniacos inducat. Affirmant Navarrus, & alii citandi. Pro negativa plures militent, pro qua mihi probabilior, stare decrevi. Eam tenet Eminentissimus Cajetanus tom. 2. opus. tract. 9. quest. 12. ubi loquitur: Utrum emens, & adquirens Episcopatum, intendendo solvere promissam pecuniam, sit simoniacus? Respondet: In definitione simoniæ dicitur quod est studiosa voluntas emendi, ac vendendi, &c. Ubi igitur deest omnino emendi voluntas, in emptio secundum veritatem non est, sed emptio tantummodo simulatio, &c. ubi autem negotio, nec venditio est secundum veritatem, sed secundum apparentiam, ibi nec simonia sed secundum veritatem est, sed secundum apparentiam tantum. Cajetanum sequitur M. Soto lib. 4. iustitiae, quest. 8. art. 1. §. 5. Dilectum hinc autem ubi hanc questionem proponit: Dubium hinc dissimulandum confurgit, utrum sicuti contra simoniam mentalis sine reali ita vice versa contra realis possit absque mentali? Est, v. g. deceptio quæpiam, acque impostor, qui pretium Episcopo procerdotio pollicetur, acque instrumentum continet absque ulla tamen impendi intentione. Apertum tunc ex una parte simoniam oriri, quando quidem hoc innotuisset Ecclesiæ, penam sibi iuris adgeret, spoliareturque Sacerdotio. Ex altera vero nullum detur simonia, utpote cum externa operatio et intentione sit pensanda, à qua speciem sortitur. Dilectum ergo (attendere) re vera, non esse simoniam, nisi in foro conscientie præbenda donatam teneat relinquare, ut Cajetanus ait quest. 10. 1. quest. 1.

2. Cum citatis sentit M. Petrus de Ledesma Sum. tract. 12. de Simonia, concl. 46. §. Para delationem sol. mihi 717. ubi sic: Si uno exteriormente concerta con el Obispo de comprar un Beneficio, interiormente no tiene animo de comprarle, esta cion puede ser pecado de mentiras, y escandalo, y no comunicar en la simonia del que vende el Beneficio. Pero en realidad de verdad no es simonia, porque no es compra, ni voluntad de comprar, aunque luntad fingida. Dicit simonia fingida se ha de poner que non tiene fuerça ninguna para obligar a relacion, ni en realidad de verdad está sujeta a las penas de la simonia.

3. Hanc opinionem probabilem putat M. L. dovicus Lopez tom. 1. iustitiae, cap. 305. §. 1. Ignorantia decisionis, & cap. 307. fol. 970. col. 1. quia contra-